

Forfatter: Bording, Anders

Titel: MOenius cautum vates commendat Ulyssem

Citation: Bording, Anders: "MOenius cautum vates commendat Ulyssem", i Bording, Anders: *Digte. - 1984*, udg. af ERIK SØNDERHOLM , Det Danske Sprog- og Litteraturselskab, 1984-86, s. 211. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur:  
<https://tekster.kb.dk/text/adl-texts-bording01val-shoot-workid104528.pdf> (tilgået 28. april 2024)

Anvendt udgave: Digte. - 1984

120.  
**LAVREA APOLLINARIS**  
Quâ  
**VIRIS UT CLARISSIMIS ITA MELIORIBUS**  
**MUSARUM**  
**STUDIIS CULTISSIMIS**

**Dn. JOHANNI MEIERO,** Schol. Cathedralis quæ  
Ripis est Rectori.

**Dn. ANDREÆ LAUGONIO** Vellejo, Scholæ patriæ  
Ripensis Correctori.

**Dn. ANDREÆ ALBERTIO SCEL SCHORANO.**  
Cum ipsis summi in Philosophiâ honores  
**PER CLARISSIMUM**

**dn m. JACOBUM FINKIUM,**  
**Physices in Regia Hafniensi Academiâ**  
**Professorem publ.**

**16. Maij** solenniter conferentur;  
**Animi testatus promptitudinem, gratulatur**  
**ANDREAS CHRISTIANI BORDINGIUS.**

**HAFNIÆ, Typis PETRI HAAKII, ANNO M.DC.XLIII.**

MOenius cautum vates commendat Ulyssem,  
Pergama qui lustris pugnans ad celsa duobus,  
212 Et totidem repetens annis sua tecta paterna,  
Multorumque videns mores, terrasque remotas,  
Aspera sustinuit per multa soloque saloque,  
Et tandem dulces patriæ, perve[n]it ad oras.  
Splendida clarorum O vos fama decusque virorum:  
Carmine quis digno celebret præconia vestra?  
Neritius bello paucos dux perdidit annos,  
At P[h]cebi à teneris estis vos castra secuti:  
Ille quidem procul à patriâ quam plurima vidit,  
Attamen invitus, terras sed vos peregrinas  
Lustrando sponte, & mores linguasque notastis:  
Illum sola Ithaca & Patrij juvere penates,  
Sed quævis vos terra juvat, nam quælibet artem  
Excipiunt terræ; vobis quin gratuler ergo?

**JOHANNES MEIERUS,**

[x][x][x][x][x][x][x]:  
EN MUSIS INHÆREO.

AUsonias *MEIERE* tua dum mente manuque  
*EXCOLIS* assiduē *MUSAS*, tibi *Pitho* lepores  
*Suggerit*, ut doctum properes æquare *Maronem*,  
Et *lepidum* gelidus vatem quem *Sulmo* ministrat:  
*Unde* tibi merito transmissa est laurea dudum.  
Sed tuus & *Sophias* animus studiosus *INHÆRET*,  
*CARMINIS* iccirco dixit qui te ante *MAGISTRUM*,  
Nunc etiam *SOPHIÆ* vocet: atque ego gratuler addam.

**ANDREAS LAVGONIUS,**  
[x][x][x][x][x][x][x]:  
**AGE, SIN DONA, LAVRVS.**

*MArtia* gens validum nunquam ferretur in hostem,  
*SPLENDIDA* victori pareret ni *MUNERA* palma.  
*Æquoris undisoni* sulcant qui cærula, *DULCE*  
Quo carplant *LVCRVM*, reputant & dulce periculum.  
*Quin AGE LAUGONI*, virtus tua *DONA* meretur,  
*Scilicet* in *Phæbi* fortis pugnare palæstra  
Qui pergy sy celerique secas rate vasta sophorum  
*Æquora: sit Frondosa* tibi pro *MUNERE LAURUS*.

213

**ANDREAS ALBERTI,**  
[x][x][x][x]:  
**EA DANT ARS, LIBER.**

*EXiguus* tandem *grandis* cum *surculus* arbor  
*Fit*, fructuque bono confarcit herile canistrum,  
*Assiduæ* Dominum culturæ haud pænitet horti:  
*Sic juvat ASSIDVIS* juvenem pallescere *CHARTIS*,  
*INGENUAS*que juvat didicisse fideliter *ARTES*,  
*LIBERA* cum dulcem reddant *ARS* *CHARTA*que fructum:  
*Est* tua mens hortus, preciosæ flore decoro  
*Virtutis* frondens, fructūs qui reddit honores.